

Solus gemmarū contuitu oculos implet, nec satiat & imò recreat obscuratos aliarū rerum aspectu. Coligitq; uisum. Ceterum eius Plinius lib. 37. cap. 5. & Solin. cap. 20. duodecim facit species. Scilicet est smaragdus, qui & aliàs à Plinio dicitur in eodem lib. cap. 10. limoniates.

I. Scythicus, isq; nobilissimus, et nulli est maior austeritas, nec minus uitiij. is etiam nequit uulnerari, tanta illi est durities. licet nec reliqui poliuntur. Hunc gryphes custodire ferunt.

II. Bactrianus, qui legitur in commissuris saxorum etesijs flantibus. tunc enim tellure internitent. etesijs flantibus mouentur harene, & solum detegitur.

III. Aegyptiacus, qui eruitur circa oppidum Thebaidis, in collibus & cauitibus.

IIII. Cypriacus uariis & glaucus.

V. Atticus, minus pinguis, è longinquo speciosior. isq; reperitur & in argentarijs fodinis.

VI. Aethiopicus, cuius species sunt hermiones extumescemes, & persici iucundi tenoris.

VII. Medicus plurimæ uiriditatis, interdum & è saphiro.

VIII. Carhedonius, qui & Chalcedonius, & smaragdites dicitur.

IX. Tanos è Persis ueniens.

X. Sicilicum.

XI.